

Martinus Plecius

1595.










BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

HONORI

SECVNDARVM NVPTIARVM REVERENDI, DOCTISSIMI ATQVE INTEGERRIMI VIRI M. MARTINI PLECII,

PASTORIS ECCLESIAE SLESVVICENSIS, QVANDO ILLI MATRIMONIO IVNGEBATVR VIRI HONESTI MARTINI BORNEMANNI, civis Husensis, filia pia & honesta MARGARETA, hanc gratulationem parabat

LAVRENTIVS SMIT, SLESVVIGAE IN COENOBIIS ECCLESIASTES.

Quid verò? modò solus eram, latè ambitus orbis
Quà patet existens dominus, ditione monarcha
Cuncta tenens, tam quæ vitalis spiritus intus
Viva animat, vegeto quam sensu corpora cassa,
Sed nostræ similem potui haud reperire figuram.
Ecce autem ô optata venis, venis una voluptas,
Os, oculosq; mihi similis, tum corpore recto
Aspiciens sursum, tu nostro aptissima amori.
Scilicet omne genus pecudum, genus omne volantum,
Et quodcunq; fovet tellus, socialiter ævum
Transigat, ipse (nefas) dominus sit comparis exors?
Hocne boni sopor alme dabas? hoc summe volebas
Rex superum? quando torpenti tempora somno
Tentabas, ut præclaram mira arte puellam
Hanc mihi formares, sumpta de corpore costa,
Ergo adsis dilecta, ulnis circumdare nostris,
Cumq; mea de carne caro, deq; ossibus os sis,
Nominis omen habens jam dicitor alma Virago:
Ad latus hærebis nostrum pars ipsius olim,
Tantorum consors mecum nunc facta bonorum;
Corpore cum bini simus, verè tamen una
Dicemur caro: perpetuoq; hunc ordine ritum
Postmodo gaudebunt seri servare minores:
Authoresq; suæ vitæ matremq; patremq;
Vir linquet, sociæq; suæ se junget amatæ.
Talibus admirans primus solvebat Adamus
Ora pater, sociamq; Evam complexibus urgens
Connubio assumpsit stabili, propriamq; dicavit.
Nec minus ipse hominum superûmq; æterna potestas
Multa monens Divis firmissima fœdera verbis
Sacrat, & æterno primus dehinc more sacerdos
Copulat, augusta sic majestate profando:
Crescite in innumeram prolem, mea gaudia, latè
Crescite, fœcundo vacuam jam semine terram
Hic illic replete, jugo se subdere vestro
Cogite cuncta, freto quot, & aëre corpora quotquot,
Perq; solum aspicitis circùm se viva movere.
Hæc Deus, & diis tribuit sua pondera dictis.
Taliter ingressos dictat sacra pagina primum
Conjugium primos patres: verum actibus istis
Numen & omen inest magnum, Fataliter omnes
Scilicet hinc nubunt: coeunt quos patria terra,
Quos ætas divisit, opes, nomenq;, genusq;,
Relligio atq; fides, divisos cogit ad unum
Cor, mensam, velum, torus, una ad vota precesq;:
Et venit in thalamum, quæ nunquam in imagine somni.
Hoc certè illud erat, summo vir honore colende,
Iudicii laude excellens, & munere linguæ,
PLECI, facundæ, CHRISTI præcoq; fidelis,
Per tot fortunæ ambages quod Fata moverent
Husiacas oras, ut ibi mens certa quiescat,
Tristia ubi vidui jam tandem fulcra vicissim
Soleris lecti: non vati incredulus ulli
Donaras illud, nec mens suggesserat olim,
Sed pater omnipotens sic prono Numine sanxit.
Is MARGARITAM hanc, præclaris dotibus auctam
Formæ conspicuæ, jam tum meditatus in usum
Inq; decus conferre tuum, cum blandula matris
Sedulitas puerum, patris & moderamen amandi,
Consulis eximii, regeret: cum floridus annis
Pieridum virides hortos, floresq; tenellis
Lustrares oculis, aspectu ubi VVilsenacum
Conspicuo surgit, veri quo nescia quondam
Relligione loci confluxit plurima turba,
Cæca putans culpæ veniam sic posse mereri.
Perdita nec porrò sed sedulitate reposta
Margarita fuit, cum plenius ore liquorem
Imbiberes Clarii fontis, Musisq; Roseti
[illegible]
Ignorata quidem certè tamen illa secuta est
Inde Hadersleviium, cujus te gnava juventus
Rectorem coluit: coluitq; arx alta ministrum
Sacrorum: conjunx ubi pristina læta maritum
Dilexit: vidui lachrymas ubi fulcra madentes
Collgeere, tria & lugentis pignora cara.
Et vix admittunt etiamnum prisca medelam
Vulnera, SLESVVIGI postquam jam tempore justo
Non sine honore manes, Divini in munere verbi.
Margarita tamen manet integra, tuta potenti
Præsidio superi custodis: namq; vorari
Ille tuum luctu pectus, tantoq; dolore
Haud ultrà patitur: quin suspice, MARGARIS ipsa,
Ipsa parata Deo est, quam pronubus ipse secundo
(Parce moræ) tibi iam parat adduxisse marito.
Hanc tibi, sed sine te, multis servavit in annis,
Hanc etiam HVSIACIS (mirum) latitare sub oris,
Non alibi, voluit: Sic Fato nubimus omnes!
Accipe nunc igitur decus hoc, tua gaudia mente
Accipe jucunda, curas lenimen ad omnes
Accipe, & optato pro votis utitor igne.
Vivite felices per multos suaviter annos,
Et pia condecoret mensam sub Numine proles.

SLESVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

ANNO M. D. XCVI.

XVII. Octob.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS